

Lateinische Lektüreübung II (Faller)
Wintersemester 2023/24
Text 3

Zirkusspiele sind reizlos:

XXXXXX CALVISIO SVO S.

Omne hoc tempus inter pugillares¹ ac libellos iucundissima quiete transmisi. „Quemadmodum“ inquis „in urbe potuisti?“ Circenses erant, quo genere spectaculi ne leuissime quidem teneor. Nihil nouum nihil uarium, nihil quod non semel spectasse sufficiat. Quo magis miror tot milia uirorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insistentes curribus homines uidere. Si tamen aut uelocitate equorum aut hominum arte traherentur, esset ratio non nulla; nunc fauent panno², pannum² amant. Tanta gratia, tanta auctoritas in una uilissima tunica apud quosdam graues homines; quos ego cum recordor in re inani tam insatiabiliter desiderare, capio aliquam uoluptatem, quod hac uoluptate non capior. Ac per hos dies libentissime otium meum in litteris colloco, quos alii otiosissimis occupationibus perduunt.

Vale.

Hilfen:

¹*pugillares: pugillares, pugillarium, m.:* „Schreibtäfel“

²*panno/pannum: pannus, panni, m.:* „Fetzen“ (im Sinne von „Kleidungsstück“)

Bauherren unter sich:

XXXXXX ROMANO SVO S.

Aedificare te scribis. Bene est, inueni patrocinium¹; aedifico enim iam ratione quia tecum. Nam hoc quoque non dissimile quod ad mare tu, ego ad Larium lacum². Huius in litore plures meae uillae, sed duae maxime ut delectant ita exercent.

Altera imposita saxi more Baiano³ lacum prospicit, altera aeque more Baiano³ lacum tangit. Itaque illam tragoediam, hanc adpellare comoediam soleo, illam quod quasi cothurnis, hanc quod quasi socculis sustinetur. Sua utriusque amoenitas, et utraque possidenti ipsa diuersitate iucundior. Haec lacu propius, illa latius utitur; illa fluctus non sentit, haec frangit; ex illa possis despiciere piscantes, ex hac ipse piscari, hamumque de cubiculo ac paene etiam de lectulo ut e naucula iacere. Vale.

Hilfen:

¹*patrocinium: patrocinium, patrocinii, n.:* hier: „Schutz“

²*Larium lacus: Der Larius Lacus ist der „Comer See“*

³*Baiano: „baianisch“ (d.h. zum Luxusbadeort Baiae am Golf von Neapel gehörig)*

Die literarische Produktion blüht, das Publikum ist aber nicht mehr, was es einmal war:

XXXXXX SOSIO SENECONI SVO S.

Magnum prouentum¹ poetarum annus hic attulit: toto mense Aprili nullus fere dies, quo non recitaret aliquis.

Iuuat me quod uigent studia, proferunt se ingenia hominum et ostentant, tametsi ad audiendum pigre coitur. Plerique in stationibus² sedent tempusque audiendi fabulis conterunt, ac subinde sibi nuntiari iubent, an iam recitator intrauerit, an dixerit praefationem, an ex magna parte euoluerit librum; tum demum ac tunc quoque lente cunctanterque ueniunt, nec tamen permanent, sed ante finem recedunt, alii dissimulanter et furtim, alii simpliciter et libere.

At hercule memoria parentum Claudium Caesarem ferunt, cum in Palatio spatiaretur audissetque clamorem, causam requisisse, cumque dictum esset recitare Nonianum, subitum recitanti inopinatumque uenisse.

Nunc otiosissimus quisque multo ante rogatus et identidem admonitus aut non uenit aut, si uenit, queritur se diem (quia non perdidit) perdidisse. Sed tanto magis laudandi probandique sunt, quos a scribendi recitandique studio haec auditorum uel desidia uel superbia non retardat.

Equidem prope nemini defui. Erant sane plerique amici; neque enim est fere quisquam, qui studia, ut non simul et nos amet. His ex causis longius, quam destinaueram, tempus in urbe consumpsi. Possum iam repetere secessum et scribere aliquid, quod non recitem, ne uidear, quorum recitationibus adfui, non auditor fuisse sed creditor³. Nam ut in ceteris rebus ita in audiendi officio perit gratia si reposcatur. Vale.

Hilfen:

¹*prouentum: proventus, proventūs, m.:* „Ernte“

²*stationibus: statio, stationis, f.:* hier: „Quartier“

³*creditor: creditor, creditoris, m.:* „Gläubiger“